



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XLV. De Absolutione Acaholicici in articulo mortis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155



Casus XLV.

De Absolutione Aetholici in articulo mortis.

A Catholicus quidam gravior, ac periculosè decumbens in loco Catholico firmiter suæ hæresi adhæret, firmiter credens, se habere veram fidem: dolet etiam de peccatis omnibus, nolens tamen, nec de fide nostra, nec de absolutione quidquam credere.

Quær. An talis saltem sub conditione sit absolvendus?

Synopsis.

1. Ad licitam talis acatholici absolutionem quænam sint necessaria?
2. Præsens agrotus videtur esse hæreticus solummodo materialis.
3. Quòd suum dolorem de peccatis externo quodam signo prodiderit.
4. Videtur, adfuisse Confessio aliqua generalis,
5. Juxta Tridentinum peccata distinctè, ac singillatim sunt explicanda.
6. Quæ tamen distincta explicatio non videtur in omnibus circumstantiis ad valorem necessaria.
7. In administratione Sacramentorum dari possunt intentiones solùm implicitè, ac materialiter contrariæ.
8. Similes intentiones contrariæ etiam in volentibus absolvi dari possunt.
9. Moribundus iste probabilius habuit intentionem obtinendæ absolutionis ab habente potestatem.
10. Quomodo hæc intentio poterit colligi.
11. Probabiliter etiam omnia ad conferendam absolutionem necessaria habuit.
12. Neque certitudo de hac disposit-

positione in articulo mortis est necessaria.

13. Hinc nostro iudicio probabiliter absolvi potuit.

Resolvitur Quæsitum.

Antalis saltem sub conditione sit absolvendus?

1 **U**T talis licitè absolvi possit, necessaria sunt sequentia. Primò. Quòd possit prudenter præsumi ægrotum esse duntaxat materialiter hæreticum, seu potius invincibili hic & nunc ignorantia, dubiòve circa res fidei laborare. Secundò. Quòd adsit sufficiens argumentum doloris, ac propositi ad valorem, fructumque hujus Sacramenti requisiti. Tertiò. Quòd in tali casu requisita integritas Confessionis adsit. Quartò. Ut habeatur, & appareat sufficiens intentio suscipiendi hoc Sacramentum.

2 Ex positione casus videtur hic periculosè decumbens fuisse hæreticus solum materialis, & invincibili ignorantia laborare; ponitur enim, quòd credat, se habere veram fidem, neque facile aliquis negare poterit, etiam

inter medios Catholicos degentem materialibus hæreticis annumerari posse, præsertim simplicis animi, atque ad sublimiora penetranda incapacis ingenii hominem, cui pastores acatholici continuò dissuadent, ne examinãdis in materia fidei controversiis se immisceat, nec se-cus, uti Catholici Sacerdotes similia plebeis, & nullius capacitatis hominibus occinere consueverunt.

Secundò, ponitur in casu, 3 quòd etiam doluerit de omnibus peccatis; ex quo deducimus, quòd etiam propositum habuerit saltem implicitum, & in actu doloris supernaturalis saltem virtualiter contentum. Sicut enim probabiliter præsumi potest, quòd sit materialis duntaxat hæreticus, ita etiam probabiliter supponitur, quòd explicitè significatus, & proditus dolor ac propositum fuerint quid supernaturale. Dixi: quòd fuerit explicitus, ac sensibilis dolor: si enim nullo signo externo fuisset iste proditus, in casu non fuisset positum, quòd de peccatis omnibus doluerit.

Tertiò: videtur etiam adfuisse 4

Ttt 2

se

se aliqua Confessio saltem generalis, casu quo hunc suum dolorem supernaturalem aliquo signo externo prodiderit. *Confessio*, inquam, *generalis*, præscindendo adhuc, utrum ista in ordine ad obtinendam absolutionem generalem ordinata fuerit, nec ne. Qui enim signò externò fatetur, se dolere de peccatis suis, utique aliqua à se commissà fuisse confitetur. Dubium igitur duntaxat superest utrum talis generalis Confessio ad conferendam absolutionē Sacramentalem fuerit sufficiens, si ratione virium de particularibus delictis se accusare potuisset, hanc tamen in specie faciendam Confessionem omiserit.

5 Quòd si ex mente Tridentini velimus naturam, & dotes ad hoc Sacramentum Confessionis necessarias colligere, docet illud *Seff. 14. c. 5.* pœnitenti sua peccata non in genere duntaxat, sed *in specie & singillatim* exponenda esse, & licèt juxta Authores Concilium hoc loco de illo duntaxat casu agat, quo distinctè, ac singillatim peccata exponi possint, non autem de casu extraordinario, in quo peccata taliter in spe-

cie explicari ampliùs ob vim morbi nequeant; in præsentitamen casu ægrotus ponitur adhuc sufficientes vires habuisse, ut quædam in particulari peccata explicaret: ergo, cùm horum explicationem omiserit, ad recipiendam absolutionem videtur fuisse indispositus.

6 Hactenus allata utique evincunt respectu alterius, qui nihil habet dubitationis de universali Romanæ Ecclesiæ doctrina ad fidem, & ad mores pertinente, si vires, & tempus ei permittant, etiam in mortis vicinia distinctam peccatorum Confessionem eidem esse faciendam: at verò an idem tenendum pariter sit de eo, qui hinc & nunc invincibiliter, ac citra culpam quoque suam ignorat, aut dubitat, an Catholica Religio sit potiùs vera, quàm Lutherana, & quod ex hoc dubio invincibili sequitur, an Christus à fidelibus etiam distinctam, & non genericam tantùm peccatorum Confessionem requisiverit, prout Catholici tumentur, vel non, de tali dubitari fors poterit: cùm enim satis certum sit dari quasdam causas, ob quas distincta peccatorum exp-

positio necessaria non sit ad integritatem formalem Confessionis, utique probabile erit, vel saltem prudenter dubitari poterit, an non inter easdem causas pro absolutione in articulo mortis ad dictum finem sufficientes sit etiam ipsa ignorantia, vel dubitatio hęc & nunc invincibilis de necessitate talis Confessionis distinctę peccatorum in particulari.

Verum dicit non immeritò aliquis, demus, hunc ægrotum fuisse materialem duntaxat hæreticum: concedimus, eundem habuisse verum dolorem, ac propositum, ac insuper Confessionem magis specificam in hoc casu desiderari non potuisse: videtur tamen absolutio propterea illi deneganda, quòd hæc nolenti obtrudenda non sit, ipse autem moribundus noluerit aliquid de absolutione audire, & consequenter suam hanc Confessionem ad obtinendam absolutionem non ordinaverit.

7 Ut hoc dubium eventiletur, consideranda erunt, quę de contrariis intentionibus Ministri Sacramentorum comunitè traduntur, Ibidem docent primò

Theologi, Ministrum posse inadvertenter habere intentiones contrarias, quando scilicet nescit illas esse contrarias; ut, quando aliquis verè conferre vult alteri Baptismum, non tamen conficere Sacramentum: sunt autem ejusmodi intentiones se invicem excludentes non cognitę ut tales, consequenter solum implicite, & materialiter contrarię.

Secundò. Ulteriùs docent, posse aliquem etiam cum intentionibus contrariis conficere Sacramentum, si nimirum intentio faciendi verum Sacramentum prævaleat alteri oppositę intentioni. Hac ratione hæretici judicando Baptismum non conferre gratiam ex opere operato, dum alium baptizant, non volunt aliquod signum practicum ex opere operato conficere conferens gratiam; quia tamen absolute volunt aliquod Sacramentum conferre, hinc iste Baptismus ut validus ab Ecclesia agnoscitur.

Quòd si tertio Ulteriùs ex Theologis quęras, quęnam ex intentionibus contrariis sit judicanda prævalere? reponunt il-

Ttt 3 lam,

lam, quæ præcipua est, & magis appetitativè adhæret suo objecto, ita, ut voluntas alteram potius defereret, si ab alterutra foret desistendum. Ratio hujus est, quòd intentio magis appetitativa sit absoluta, sed absoluta prævalet solummodo conditionatæ: ergo magis appetitativa prævalet alteri.

8 Quæ modò de intentione Ministri Sacramentorum dicta fuerunt applicari cum proportionem possunt intentioni volentis, & nolentis absolvi à peccatis per Sacerdotem Catholicum: nam ægrotus iste ideo noluit absolvi à suis peccatis per Sacerdotem Catholicum, quia ex erronea, & invincibili persuasione judicabat, hanc facultatem non competere Sacerdoti Catholico, quin imò putabat, se peccaturum pariter, in quantum petendo, & accipiendo hanc absolutionem profiteretur Religionem Catholicam esse veram, suam ex opposito falsam: ne itaque contra suum dictamen, quo invincibili ex errore judicabat suam sectam esse veram, ageret, ideo omni modo recusaverat absolutionem à Sacerdote

Catholico conferendam. Ex altera parte, cum etiam hæretici à suis pastoribus absolutionem suorum peccatorum expectant, atque istam medium quoddam esse agnoscant, ad obtinendam peccatorum remissionem necessarium, vel ut conducentem ad aeternam beatitudinem, ideo probabilissimum est, memoratum hæreticum habuisse desiderium, & voluntatem obtinendi absolutionem à suis peccatis: cum enim ponatur habuisse verum dolorem, & propositum non amplius peccandi, ideo etiam voluntatem habuit omnia illa præstandi, quæ ad salutem obtinendam sibi hic & nunc apparebant esse necessaria, vel conducibilia: atqui videbat, & sciebat, absolutionem esse ejusmodi necessarium, vel saltem multum conducentem medium: ergo habuit voluntatem obtinendi absolutionem.

9 Ex his colligimus, potuisse ægrotum hunc acatholicum, habuisse verum, & efficax desiderium obtinendi simpliciter absolutionem à Sacerdote habente veram potestatem absolvendi, errasse autem duntaxat invincibili-

biliter in eo, quod iudicaverit, hanc potestatem Sacerdoti Catholico neutiquam competere: vel si hæc etiam illi competeret, illicitum sibi sub mortali esse accipere absolutionem à Catholico Sacerdote. Superest itaque dubium, cuinam ex his duabus suis intentionibus magis adhæserit, seu quamnam illarum magis apprehenderit.

10 Hoc dubium meo iudicio facile tolli potuit; si nimirum Sacerdos Catholicus ipsum interrogavit, utrum non ita sit constitutus, ut, si adesset aliquis Sacerdos, qui haberet potestatem eundem absolvendi, & à quo licite posset petere absolutionem sibi in extremo hoc periculo summopere necessariam, utrum, inquam, non sit ita constitutus, ut ab illo absolutionem expeteret? quod si itaque affirmative respondisset, prout absque dubio respondisset, abunde constitisset, quod voluntatem accipiendi absolutionem magis apprehendit, & consequenter absolute expetat; hic & nunc autem ex errore quodam invincibili seductus eam nolit à Catholico accipere, casu autem quo respondisset,

se ab hæretico tantum, & à nullo alio expetere absolutionem, licet etiam Catholicus haberet hanc potestatem absolvendi valide, adhuc puto nondum sufficienter probatum esse, quod pro tunc non habuerit absolutam voluntatem obtinendi absolutionem; quia scilicet absolutionem à Sacerdote Catholico conferendam præcisè ex errore quodam invincibili recusaverat. quia scilicet iudicabat, hoc sibi esse illicitum, interea tamen adhuc magis desiderabat simpliciter absolvi à peccatis, quam neglecta absolutione ex hac vita discedere.

Adhuc autem longè melius faceret Sacerdos, si moribundum acatholicum interrogaret, utrum non ita sit constitutus, ut si nostra Religio esset vera, & illius falsa, ipse velit nostram amplecti, & adhibere media, quæ inter Catholicos morientibus adhiberi solent? quod si postea responderet affirmative, dico, quod tunc jam haberet saltem implicitam voluntatem accipiendi absolutionem à Sacerdote Catholico, sub hac scilicet conditione, si vera sit Religio Catholica

lica

lica: ergo cum hæc conditio, scilicet veritas Religionis Catholicæ, sit impleta, habebit talis acatholicus absolutam, licet implicitam voluntatem accipiendi absolutionem ab hoc Sacerdote, imò explicita etiam voluntas; conditionata tamen in suo modo tendendi, si scilicet sit vera Religio Catholica, in illo positus his circumstantiis præsumi poterat; si enim aliquis Catholicus in extrema tali necessitate constitutus, quando edit signum aliquod doloris etiam indifferens ad Confessionem prudenter judicatur, vel præsumitur habere voluntatem explicitam, & absolutam accipiendi absolutionem; etiam talis acatholicus præsumi potest, habere talem explicitam voluntatem saltem in suo modo tendendi conditionatam, quæ absoluta evadit, eo ipso, quòd purificata fuerit conditio: cum ergo ad valorem cæterorum Sacramentorum non sit necessaria intentio in suscipiente, quoad modum tendendi absoluta, sed sufficiat, quòd purificata conditio fiat primum, pro illo tamen instanti absoluta, ita neque ad hoc Sacramen-

tum ejusmodi, quoad modum tendendi explicitè absoluta intentio erit necessaria, sed sufficiet conditionata, si per impletam pro illo tempore conditionem evaserit à parte rei absoluta.

Habemus igitur ex omnibus¹¹ hætenus disputatis, quòd memoratus moribundus probabiliter materialis tantum hæreticus extiterit; 2. dò. Quòd etiam doluerit de suis peccatis; hunc suum dolorem signo quodam sensibili expresserit. 3. tiò. Quòd deposuerit Confessionem hinc & nunc probabiliter formaliter integram, & quòd denique 4. tò. hanc suam Confessionem probabiliter ad obtinendam absolutionem ordinaverit. Cum igitur ad conferendam alicui absolutionem præter enumerata nihil aliud quidpiam ut necessarium desiderari possit, ideo memoratus moribundus hæreticus videtur probabiliter posse absolvi saltem sub conditione.

Licet autem præsumptio,¹² quam Sacerdos Catholicus ob allatas rationes habere potest de debita dispositione hujus moribundi, sit valde incerta, & for-

fortassis etiam falsa: non tamen hæc incertitudo obstat, quo min⁹ absolutio illi impertiri possit. Ratio est, quod in casu extremæ necessitatis non teneamur sequi sententiam probabiliorem, vel certam in administratione Sacramentorum, cum etiam in talibus circumstantiis liceat uti materiâ dubiâ in Baptismo. Præterea aliqui defendunt posse absolvi moribundum, si edat signa quædam indifferentia doloris, quin ulterius exprimat, ad quem finem eum ordinet. Imò si etiam omnino nulla signa possit edere, neque ediderit, judicant eundem sub conditione absolvi posse, & de facto communiter absolvent. 3. tiò. Qui est Author Sacramentorum vult potius hac ratione consuli animarum salutem aliàs periclitanti, ita ut malit eam verborum formulam, quæ per se constituere posset formulam Sacramentorum, periculo nullitatis sub conditione exponi, quàm ut denegata absolute animæ à se redemptæ pereant: cum etiam aliàs sæpissimè, vel docendi, vel discendi gratiâ illas formulas proferamus absque intentione conferendi

Sacramentum. 4. tiò. In aliquibus Diocæsibus viget consuetudo; vi cuius omnes infantes, qui instante periculo, mortis ab obstetricibus baptizati fuerunt, cessante periculo à Sacerdote denuo sub conditione rebaptizentur: cum tamen multum probabile sit, legitimè baptizatos fuisse, & vix probabile, quod non sint validè baptizati: ergo videtur etiam esse licitum sub conditione talem absolvi, cum nobis saltem videatur probabilius, talem esse dispositum, quàm memoratos infantes ab obstetrice bene instructa non fuisse validè baptizatos. Nulla igitur ratio videtur ab adversariis afferri posse, quæ persuadeat probabile non fuisse, memoratum catholicum ad recipiendam absoluteionem capacem non extitisse.

Cum igitur, uti dictum urgente extrema necessitate in administratione Sacramentorum liceat uti sententia probabilis, ideo judicamus, eidem sub conditione saltem absoluteionem impertiri potuisse. Salvo tamen semper meliori aliorum iudicio.